



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Spes & Fiducia, Cuius Iudicisqve Dei, Erga Homines In Hac
Vita Existentes, Firmata**

Stengel, Georg

[S.l.], 1645

§. 5. Lepida historia feminæ ab alijs minùs curatos, magis curantis.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-49823](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-49823)

§. V.

Lepida historia feminae ab alijs minus curatos magis curantis.

Thom.
Canti-
pratanus
l. Apum,
2. c. 10.
§. 8.

Appositè hîc recenseri potest, quod lepide gestum idoneus author scribit, de Aleyde prudentissima *Vallis-Ducis* Abbatissa. Clarissimus Brabantiae Dux Henricus huius nominis secundus, filiae suae Margaritæ, in Brabantia, nobile cænobium *Vallis-Ducis* dictum exædificarat, ordinique Cisterciensi sacrum esse voluerat. Ei cænobio prima prae fuit Aleydis prisci & integri moris, ut & stemmatis femina, cui neque ingenium defuit, neque virtus, neque linguæ gratia, aut lepos loquendi. Hoc cænobium, ut de more visitaret Guilielmus Villariensis, postea Clareuallensis Abbas, friuolas Monialium, contra eam, & planè muliebres de nihilo querelas excepit. Querelarum grandissima erat, quòd Antistita fratribus Dominicanæ & Franciscanæ familiæ hospitio acceptis vinum atque pisces apponeret; tunicas quieturis mundulè lotas præberet, pedesque eorum calida iuberet ablui: quæ tamen omnia non faceret Monachis sui ordinis, cum venirent; quibus utique par esset, liberaliorem curam impendere. Audijt hanc sui accusatio-

nem

nam prudens & ingeniosa mulier, atque modestè subridens licentiam petijt respondendi. Qua obtenta: Vera, inquit, sunt, de quibus accusor, negare non possum; possum tamen excusare, si causam rationemq; volunt audire sorores meæ. Prædicatoribus & Minoribus fratribus, vinum & pisces, cum possum, largior: siquidem illi pecunia destituti talia sibi emere nequeunt: *vestris autem Monachis id ipsum non facio, quia egredientibus, ut confido, & scio, datur pecunia, unde possunt emere & habere.* Fratribus, qui pedibus conficiunt iter, cœnôque lutati ac lassitudine pleni, apud me diuertunt, tunicas, vestesque linteas non obsoletas suppedito, ut nocte commodiùs quiescant: *Monachi autem nostri equites vadunt, & in manticis suis tunicas & vestes portant, quas, cum voluerint, poterunt immutare.* Fratribus illis aqua pedes curo recreari, quia eos sudoribus & luto sordidos afferunt: *Monachis autem vestris idem non facio, quia equis altioribus insidentes ab immunditijs talibus possunt conservari.* Hoc responsum vbi Abbas, vbi Monachi, vbi Moniales audiuerunt, risu leporem, silentio & admiratione tacita sapientiam Antistitæ approbârunt.